Noverint universi. Quod nos Arnaldus colony et Sancia uxor eius vicini et habitatores de vilafamez non vi vel metu compulsi dolo vel errore inducti seu in aliquo circumventi Set gratis et bono animo et spontanea voluntate et ex certa sciencia per nos et successores nostros vendimus concedimus et tradimus seu quasi tradimus Cum testimonio huius publici instrumenti perpetuo firmiter et valiturum vobis Michaeli pallares et Arnaldo cabrera Juratis hoc anno de vilafamez et alijs probis hominibus et universitati dicti loci de villafamez licet absentibus et Martino egidy et Bernardo cabrera vicinis eiusdem dicti loci presentibus et recipientibus nomine vestro et dicte universitatis et tanquam nuncijs per vos nunc missis ad dominum Magistrum Montesie super facto Justiciatus Infrascripti prout apparet per quandam litteram papiream per vos Jurati sibi missam vestro sigillo sigillatam tenoris sequentis. Al molt honrat e discret Religios e honest senyor frare Arnau de Soler per la gracia de deu maestre de la honrada Cavalleria de la Casa de Muntesa. Al Justic Jurats e prohomens e tota la universitat de vilafamez ab gran e deguda reverencia e ab besament de mans e de peus nos comanam en la vostra gracia e merce aparellats esser obediens a vostres manaments. Sia merce vostra senyor que creegats an Martin gil e an Bernat cabrera missatges nostres de tota cosa que ells vos diran de part nostra sobre el fet del Justiciat lo qual havem comprat den Arnau colony per retenimet davant ... pregam deus que vos conserve per lonch temps axi com vos volets. Et notario Infrascripto tanquam publice persone prout et pro alijs et personis quarum interest et intererit et interesse potest et poterit hec a nobis legitime stipulanti et recipienti. Justiciatum nostrum dicti loci de vilafamez et eius termini cum omnibus suis Juribus universis prout ipsum nunc tenemus et possidemus et tenere et possidere debemus et ad nos pertinet et pertinere potest et debet. Quem quidem Justiciatus spectabat ad Bertrandum colony quondam patrem mei dicti Arnaldi colony ex successione Arnaldi colony quondam patris sui avi mei qui ipsum habebat ex donatione et concessione inde sibi et suis perpetuo facta per Guillelmum raimundi de biella quondam dominum de vilafamez. Qui et Bertrandus colony in suo ultimo testamento instituit me dictum Arnaldum colony et Petrum colony quondam fratrem meum de omnibus bonis et Juribus suis heredes universales et per particionem inter dictum Petrum dum vivebat et me factam venit ad partem meam Justiciatus predictus prout de ipsa particione per instrumentum publicum inde factum inde et plenius apparet. Hanc autem vendicionem concessionem et tradicionem facimus per nos et successores nostros vobis dictis Juratis probis hominibus et universitati licet absentibus et vestris perpetuo et dictis Martino egidij et Bernardo cabrera presentibus et recipientibus nomine vestro et notario Infrascripto tanquam publice persone pro vobis et pro alijs et personis quarum interest et intererit et interesse potest et poterit legitime stipulanti et recipienti de predicto Justiciatu cum eius Juribus universis pure libere et absolute Quemadmodum melius dici scribi et intelligi potest ad vestrum vestrorumque salvamentum et bonum et intellectum. Et extrahimus predicta que vobis vendimus et concedimus de iure dominio et posse nostri et nostrorum. Eademque omnia et singula In vestrum vestrorumque Jus dominium et posse mittimus et transferimus Irrevocabiliter pleno Jure. Promittentes per firmam stipulacionem tradere vobis vel cui volueritis possessionem vel quasi Justiciatus predicti et Jurium eiusdem statim vel quandocumque volueritis ad voluntatem vestram. Et nichilominus damus et concedimus vobis plenum posse et licenciam apprehendendi corporalem possessionem vel quasi Justiciatus predicti et Jurium ipsius auctoritate vestra propria quandocumque et quocienscumque volueritis et apprehensam retinendi Jure vendicionis predicte. Et interim donec ipsam apprehenderitis possessionem vel eam vobis tradiderimus vel quasi constituimus predicta que vobis vendimus pro vobis et vestro nomine possidere. Preterea ex causa vendicionis huiusmodi damus et cedimus vobis et vestris omnia loca Jura voces et acciones reales et personales utiles et directas seu mixtas ordinarias seu extraordinarias que et quas habemus et habere debemus et que nobis competunt vel competere possunt qualibet racione In predictis que vobis vendimus contra quascumque personas et res racione cum Quibus locis Juribus vocibus et accionibus nostris predictis possitis vos et vestri uti agere et experiri In Judicio et extra In Curia et extra et vos deffendere ac tueri contra quaslibet personas In predictis que vobis vendimus vobis querimoniam proponentes quemadmodum nos poteramus ante huiusmodi vendicionem et cessionem et etiam postea quandocumque. Constituentes vos In hijs dominos et In rem vestram propriam ad habendum et tenendum atque in sana pace perpetuo possidendum et ad dandum vendendum alienandum et ad omnes vestras et vestrorum voluntates perpetuo faciendas exceptis militibus clericis et personis Religiosis sine obstaculo et impedimento nostri et successorum nostrorum et alterius persone et sine aliqua retencione quam in predictis non facimus ullo modo. Pro precio autem predictorum que vobis vendimus dedistis et solvistis nobis et confitemur nos habuisse et recepisse a vobis duos mille solidos regalium valencie super quibus sumus contenti a vobis. Et dicte renunciamus excepcioni non numerate et non solute pecunie et precij non habiti et non recepti et doli. Et legi qua deceptis ultra dimidiam Justi precij subvenitur et omni alij Juri foro racioni et consuetudini contra hec repugnantibus. Et damus et remittimus vobis et vestris perpetuo donacione pura perfecta et irrevocabili inter vivos siquid hec vendicio plus valet vel valere poterit precio antedicto. Promittentes vobis utrumque nostrum Insolidum per nos et successores nostros vobis et vestris perpetuo predictam vendicionem facere vos et vestros ... volueritis habere tenere et possidere In pace perpetuo contra omnes personas. Et quod tenebimur inde vobis et vestris de firma et legali eviccione et de omni dampno ac etiam interesse ad forum valencie. Et pro hijs omnibus et singulis complendis et firmiter attendendis utrumque nostrum insolidum obligamus vobis et vestris omnia bona nostra mobilia et immobilia ubique habita et habenda. Renunciantes ... beneficio dividende de novis et epistole divi adriani et ego dicta Sancia certificata de iure meo per notarium Infrascriptum renuncio doti mee et sponsalicio et germanitati seu fraternitati facte inter dictum maritum meum et me et omni alij Juri foro racioni et consuetudini contra hec repugnantibus. Et ut predicta maiorem obtineant firmitatem non vi nec metu sed sponte ego dicta Sancia Juro In animam meam per deum et eius sancta Quatuor Evangelia manibus meis corporaliter tacta predicta attendere et complere tenere et observare et nunquam In aliquo contravenire aliquo Jure causa vel etiam racione. Insuper vero de predictis omnibus vobis et vestris firmius sit damus vobis fidanciam salvitatis Petrum barcholomi vicinum dicti loci. Qui de predictis omnibus et singulis vobis et vestris firmiter teneatur et obligetur ad forum valencie. Et ego dictus Petrus barcholomi predictus hanc fidanciam salvitatis In me sponte suscipio et eam benefacio ad forum valencie vobis dictis Juratis probis hominibus et universitati et vestris super omnibus bonis meis mobilibus et Inmobilibus ubique habitis et habendis. Que ad hec vobis et vestris obligo et presenti. Et predicta omnia et singula nos dicti venditores facimus paciscimur et promittimus vobis dictis Juratis probis hominibus et universitati licet absentibus et Martino egidij et Bernardo cabrera presentibus et recipientibus nomine vestro et dicte universitatis et notario Infrascripto tanquam publice persone hec a nobis pro vobis et pro alijs et personis quarum interest et intererit et interesse potest et poterit paciscenti et recipienti ac legitime stipulanti. Quod est actum In Turre Sancti Mathei ... kalendas augusti anno domini Millesimo. Trecentesimo. vicesimo Sexto. Signum Arnaldi colony. Signum Sancie uxoris eius Jurantis. Signum Petri barcholomi fideiussoris. Qui hec laudamus concedimus et firmamus.

Testes huius rei sunt. Jacobus de angularia. Petrus ... Raimundus andree vicini ville Sancti Mathei. et Galcerandus de turribus baiulus tenentis de Comis de ... Testes sunt firmamenti dicte Sancie et dicti Petri barcholomi. Qui hec Instrumentum firmarunt in dicto loco de vilafamez. Duodecimo kalendas Octobris anno predicto. Rodericus Petri de sella notarius. Dominicus balaguer. Dominicus dumedj et plures alij vicini dicti loci de vilafamez.

Signum Petri luppeti de balanyano auctoritate Illustrissimi domini Regis Aragonum notarii publici per totam terram et dominacionem eiusdem. Qui hec scripsit et clausit loco die et anno prefixis cum litteris suprapositis In linea tercia ubi dicitur papiream.